



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

De corona B. Virginis. Cap. 4.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

annis hoc exercitium quotidie coluisset, suffragante illi gloriosa Virgine, sapius per diem, præsertim ad horas septem canonicas, in cælum te vera rapiebatur, ubi inter cætera clarissime vidit & audiuit cælestes ciues, Iesum & Mariam super huiuscemodi articulis ineffabili lætitia & deuotione benedictes, & dulcissimis nominibus, Iesu & Maria, reuerentiam modo supra dicto exhibentes, necnon pro omnibus in eiusmodi exercitio sese ipsis cæli ciuibus conformantibus in terris, Deum obsecrantes. Ad hæc, pro singulis id genus fertis rosariis singulas coronas mirabili fulgore coruscantes, & immarcescibiles illis in cælestibus reponi. Plenam insuper peccatorum remissionem, singularem quoque gratiam, & benedictionem in præsentem, gloriamque in futura vita pro qualibet corona rosacea, vel Rosario illis à Domino Iesu per preces beatissimæ matris eius diuina auctoritate promitti & conferri. Denique maiorem Dei gratiam, & salutis thesaurum in eodem latere exercitio, quam quispiam mortalium possit comprehendere, primæ Veritatis testimonio illustratus cognouit, nobisque hæc post obitum suum in scriptis reliquit. Hæc ille. Ex quibus constat, precationem istam Christo Domino, ac Virgini matri esse gratissimam, quam proinde debemus, viros spirituales imitantes, deuotè ac piè frequentare.

## De Corona Beate Virginis.

## CAPVT IV.

**S**ALTERIUM Virginis matris, à feria secunda vsque ad sabbatum, singulis hebdomadis bis recitatur, & qualibet ex prædictis diebus (vt explicatum est) tertia eius pars dicitur. Hinc autem constat Dominicam diem parte psalterij huius esse vacuam, quam eiusdem Virginis corona replebit. Est autem corona, precatio in honorem eiusdem Virginis matris, ex tot salutationibus Angelicis compacta, quot fuerunt anni vitæ eius. At vita Deiparæ, secundum opinionem quam nunc verissimilem putamus, sexaginta tribus annis conclusa fuit: vnde & hæc precatio totidem salutationes Angelicas continet, septem orationibus Dominicis per denarios distinctas, excepta sectione vltima, quæ tribus tantum salutationibus continetur. Merito verò precatio ista corona vocatur, quoniam regium diadema Virginis ex ineffabilibus meritis vitæ eius fabricatum est, quoniam obsequium hoc nostrum ab eius benignitate, coronæ vice admissum est; quoniam cuiusque hanc coronam recitanti, si per ipsum non steterit, sertum immortalitatis præparatum est.

Hanc verò coronam non iam ex mysteriis vitæ Saluatoris, (quod fieri posset) nec ex virtutibus Virginis, (quod vtilissimum esset) sed ex immensa, ac multiplici dignitate eius per coronam signata, concinnare libet. Ac si iuxta septem denarios huius precationis, sex integros, & vnum inceprum, septem coronas ad illos applicandas beatæ Virginis inueniremus, aliquod fortassis illi vel exiguum obsequium offerremus. Sanctæ Deiparæ caput vna corona cinctum esse ex duodecim stellis compacta nullus ambiget, qui Ioannem in Apocalypsi dicentem legerit: Signum magnum apparuit in cælo, Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. Quem locum non solum de Ecclesia, sed & de Maria totius Ecclesiæ matre accipiendum esse docent Augustinus, Bernar-

Apoc. 12.  
1.  
Aug. 4. de  
Symbolo  
ad catho-  
chif. c. 1.

**A** dus, & Epiphanius, & plerique alij, quos non oportet recensere. Ipsa enim est signum magnum, quod oriens mundo vt aurora purissima, aduentum magni Saluatoris, ac Solis iustitiæ mundo præmonstrauit. Ipsa in cælo apparuit, quoniam super omne terrenum se extulit, & vitam supra cælestem, & Angelicis spiritibus admirabilem, sectata est. Circumdatur Sole est, quoniam, vt Verbum conciperet: eam Deus vnde quaque protexit, Pater obumbravit, Filius clarificauit, Spiritus sanctus secunda effecit. Lunam calcatur, quia extricam vitam faciens, & mutabilitates nostras non sentiens, omnes successus mundi huius proterit atque conculcat. Corona autem duodecim stellis, quasi duodecim gemmis ornata, eius regni dignitatem significat, quam mirabile facit duodecim illæ prærogatiuæ, quas Bern. pulchrè descripsit: Quis, inquit, stellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum sit? Supra hominem est coronæ huius rationem exponere, iudicare compositionem. Nos tamen pro modulo nostræ exiguitatis abstinentes à periculoso scrutinio secretorum, nõ incongruè forsitan duodecim stellas istas, duodecim prærogatiuas gratiarum intelligere videamur, quibus Maria singulariter adornatur. Siquidem iauenire est in Maria prærogatiuas cæli, prærogatiuas carnis, prærogatiuas cordis: & si fuerit ternarius iste per quaternarium multiplicatus, habemus fortè stellas duodecim, quibus Regiæ nostræ diadema præfulget vniuersis. Mihi sanè singularis rutilat fulgor: Primò quidem, in Mariæ generatione: Secundo, in Angelica visitatione: Tertio, in Spiritus superuentione: Quarto, in Filij Dei inenarrabili conceptione. Sic & in his quoque siderum planè irradiat decus: quod virginitatis primiceria, quod sine corruptione fecunda, quod sine grauiamine grauida, quod sine dolore puerpera. Nihilominus etiam speciali quodam splendore in Maria coruscant mansuetudo pudoris, deuotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, martyrium cordis.

**C** Hoc loco vnam tantum Virginis coronam habemus, & si prærogatiuas numeramus, non septem, sed duodecim legimus: nos autem aut septem coronas, aut septem prærogatiuas inuenire gestimus. Forsitan ad eas inuelligandas aditum ipse liber Apocalypsis aperiet, si consideremus, quod Rex & Regina summi confueverunt corona exornari, & eadem dignitate fulgere. De Christo verò Rege scriptum est: Et in capite eius diademata multa. Quod si aduersarius eius habuit diademata septem: nam alio loco Ioannes dicit: Et visum est aliud signum in cælo, & ecce Draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata septem. Vide an congruè illa diademata multa Christi, septem dicenda sint. Omisissis autem septem coronis draconis, quæ ad nos non pertinent, Christi regium caput septem diadematis, seu coronis cingitur: quia septem opulentissimis regnis imperitat. Primum est regnum Angelorum clarissimum, cui semper suam faciem ostendit. Secundum, regnum Apostolorum, & Patriarcharum, & Prophetarum potentissimum, quo mundum sibi subiicit. Tertium, regnum Martyrum fortissimum, quo potestatibus aduersariis resistit. Quartum, regnum Pontificum diligentissimum, quo Ecclesiam suam regit. Quintum, regnum Doctorum sapientissimum, quo ignorantie tenebras pellit. Sextum, regnum Confessorum, Monachorum, & Anachoretarum obseruantissimum, quo campos virtutum ad ferendos vitæ æternæ fructus exercet. Septimum, regnum Virginum, Viduarum, & aliarum sanctarum mundissimum,

Bern. ser. in eundem locum Epiph. ser. d. laudis. B. Maria.

Bern. supra.

Apoc. 19  
12.  
Apoc. 12.  
3.

quo in terra vitam celestem instituit.

Si ergo Christus Rex propter septem hæc regna, quibus præfider, septem habet diademata, quæ sunt suæ regni dignitatis insignia: Maria Regina eisdem coronis coronabitur, vt beneficio Regis Christi, omnibus regnis eius præficiatur. Si enim Assuerus Rex, cum adamauit Esther, [posuit diadema regni in capite eius,] nempe totius regni sui: quanto magis Christus posuit diademata sua in capite Mariæ matris suæ, quam præ omnibus adamauit, & super omnes res creatas exaltare decreuit? Tu ergo coronam Virginis in honorem huius coronæ multiplicis die Dominico recitabis, & eodem modo ac plateariam supra dictam, eam inchoabis.

In primo ergo denario coronæ vocabis beatam Virginem Reginam clarissimam: quia verè clarissima est, quæ tantæ luci eminet, & pro vita cælesti in hac mortalitate instituenda, præcaberis.

In secundo, vocabis eam potentissimam: quia verè potentissima est, quæ hæreses & infidelitates interimit: & postulabis ab ea, vt verbo & exemplo Ecclesiæ proficiat.

In tertio, vocabis eam fortissimam: quia plusquam Martyres vniuersi sustinuit: orabisque eam, vt patienter pro Christo aduersa perferat.

In quarto, vocabis eam felicissimam: quia cunctarum Ecclesiarum gubernationi intendit: petesque ab illa, vt sollicitè in munus tibi demandatum incumbas.

In quinto, vocabis eam sapientissimam: quoniam omnes Ecclesiæ Doctores erudiuit: petesque, vt spiritui orationis & contemplationis instat.

In sexto, vocabis eam obseruantissimam: quia has luteas sedes incolens, in omni se virtutum genere diligenter exerceat: potesque ab ea, vt castigatione tui corporis fulgeas.

In septimo, vocabis eam mundissimam: quia omnem virginum puritatem post se reliquit: orabisque, vt munditiam etiam desideriorum & cogitationum obtineas. Ex his facile erit septem precationes conficere in hunc modum.

*Post primum denarium corona sic præcaberis:*

Saluto, laudo, & glorifico te, ô Virgo Maria mater mea, & Domina mea, Regina Angelorum clarissima: congratulor tibi ex totis præcordiis meis, ob diadema regium, quo spiritibus cælestibus vniuersis præemines. Oro te, Domina mea, & mater Filij Dei, ob coronam Reginæ Angelorum, vt impetres mihi ab eodem Filio tuo vitam puram, cælestem, & à terrenis desiderijs elongatam, vt illi in omnibus meis actibus placere possim. Amen.

*Post secundum denarium, sic:*

Saluto, laudo, & glorifico te, ô Virgo Maria mater mea, & Domina mea, Regina Apostolorum, Patriarcharum, & Prophetarum potentissima: congratulor tibi ex totis præcordiis meis ob diadema regium, quo omnibus Apostolis, Patriarchis, & Prophetis præemines. Oro te, ô Domina mea, & mater Filij Dei, ob coronam Reginæ Apostolorum, & Patrum antiquorum, qua ornata es, vt impetres mihi ab eodem Filio tuo gratiam abundantem, vt Ecclesiæ verbo & exemplo proficiens, illi in omnibus meis actibus placere possim. Amen.

*Post tertium denarium, sic:*

Saluto, laudo, & glorifico te, ô Virgo Maria mater mea, & Domina mea, regina Martyrum fortissima. Congratulor tibi ex totis præcordiis meis ob diadema regium, quo martyribus vniuersis præemines. Oro te Domina mea, & mater filij Dei, ob coronam reginæ Martyrum, qua ornata es, vt impetres mihi

ab eodem filio tuo donum patientiæ, vt pro eius amore aduersa perferens, illi in omnibus meis actibus placere possim. Amen.

*Post quartum denarium, sic:*

Saluto, laudo, & glorifico te, ô Virgo Maria mater mea, & Domina mea, Regina Pontificum sollicitissima. Congratulor tibi ex totis præcordiis meis ob diadema regium, quo omnibus Pontificibus superemines. Oro te Domina mea, & mater Filij Dei, ob coronam reginæ Pontificum, qua ornata es, vt impetres mihi ab eodem filio tuo piam sollicitudinem in bonis operibus, vt diligenter in res mihi demandatas incumbens, illi in omnibus meis actibus placere possim. Amen.

*Post quintum denarium, sic:*

Saluto, laudo, & glorifico te, ô Virgo Maria mater mea, & Domina mea, regina doctorum sapientissima. Congratulor tibi ex totis præcordiis meis, ob diadema regium, quo omnibus doctoribus præemines. Oro te Domina mea & mater filij Dei, ob coronam reginæ doctorum, qua ornata es, vt impetres mihi ab eodem filio tuo orationis & contemplationis donum, quo cælestibus mysterijs superintentus, illi in omnibus meis actibus placere possim. Amen.

*Post sextum denarium, sic:*

Saluto, laudo, & glorifico te, ô Virgo maria mater mea, & Domina mea, regina confessorum, monachorum, & anachoretarum obseruantissima. Congratulor tibi ex totis præcordiis meis ob diadema regium, quo omnibus confessoribus, monachis, & anachoretis præemines. Oro te Domina mea & mater filij Dei, ob diadema regium Reginæ confessorum, & aliorum sanctissimorum virorum, qua ornata es, vt impetres mihi ab eodem filio tuo donum castigandi, & continendi corpus meum, vt illi in omnibus meis actibus placere possim. Amen.

*Post tres saluationes septimi denarij, sic:*

Saluto, laudo, & glorifico te, ô Virgo Maria Domina mea, & mater mea, regina Virginum, viduarum, & omnium sanctarum mundissima. Congratulor tibi ex totis præcordiis meis, ob diadema regium, quo cunctis Virginibus, viduis, & aliis sanctis faminis præemines. Oro te Domina mea & mater filij Dei, ob coronam Reginæ Virginum & omnium Sanctarum, qua ornata es, vt impetres mihi ab eodem filio tuo munditiam operum, desideriorum, & cogitationum, vt mundus existens illi in omnibus placere possim. Amen.

Sic poteris die Dominica coronam Beatæ Virginis recitare, aut alio modo simili, quo vinctio te docebit, & pro certo scias, quia benignissima Mater omnium fidelium nullo modo hoc vel exile donum contemnet, sed te pro eo magnis beneficiis ac donis afficiet.

### De speciali inuocatione Beatæ Virginis.

#### CAPVT V.



**E** VOTIDIE etiam non solum per orationem vocalem, sed etiam per aliquod exercitium orationis mentalis cum Beata Virgine agendum est. Cui consecutimas certa aliqua diei hora nostras miseras patefacere, & necessitates aperire, vt per hanc orationem desideria nostra accendentes, & affectum mouentes, ad dona cælestia promerenda disponamur. Beatam Virginem, & omnes Angelos, & Sanctos beatos nostras orationes, etiam sola mente ad